

creaturis participat immutabilitatem Dei, et conjungit intellectum illi, et sic specialem præ cæteris mensuram petit.

XXI. Ad confirmationem respondetur, quod visio Pauli licet quantum ad speciem fuerit ejusdem rationis cum visione beata, quam modo habet, non tamen quantum ad statum, et modum durationis, quia non fuit data per modum status perfecti, et permanentis, sed per modum transeuntis, et non tollentis statum viæ. Et sic ratione status subjecta fuit mutabilitati. Nos autem locuti sumus de visione beata in suo statu connaturali, et perfecto. Vel secundo illa visio Pauli mutata fuit per divinam potentiam sicut etiam mutare potest modo, et destruere visiones, quæ sunt in patria. Sed tamen Div. Thomas priori solutioni videtur adhærere, quia illam visionem numerat inter prophetias, et ad modum prophetiæ dicit fuisse datam, quatenus fuit per modum transeuntis, ut docet 2-2, qu. CLXXV, art. III ad secundum. Itaque visio beata ex suo connaturali genere, et statu immutabilior est quam substantia Angeli, quæ ex genere suo, et connaturali statu accidentales mutationes admittit, non autem visio beata, licet extra suum connaturalem statum desinat, et transeat sicut etiam substantia Angeli potest desinere, si Deus voluerit illam annihilare.

ARTICULUS II.

Quod sit ævum et in quo fit?

I. Tres difficultates circa ævum se offerunt. Prima, utrum excludat omnem successionem intrinsecam, et quomodo habeat latitudinem, et quantitatem mensurabilem, cum sit indivisibilis. Secunda, an illi conve-

niat ratio mensuræ. Tertia, an sit unum ævum tantum, et in quo subjecto sit.

PRIMA DIFFICULTAS.

II. Aliquorum sententia fuit, ævum formaliter habere aliquam successionem. Ad quod explicatum distinguiebant duplicem successionem. Unam quæ est cum variatione, et mutatione partium succedentium, sicut videmus in aqua fluvii, et in partibus motus continui. Aliam sine mutatione partium, sed per continuam emanationem unius, et ejusdem rei ab alio, sicut lux continuæ emanat a sole, sine mutatione partium. Cum ergo ævum pertineat ad mensuram rerum incorruptibilium, sicut sunt substantiæ angelicæ, et corpora cœlestia, et corpora gloriosa dicunt, quod includit successionem non primo modo, sed secundo, quatenus esse, seu duratio istarum rerum continue emanat a Deo. Hanc sententiam refert S. Thomas in præsentis articulo v et quodlib. x, art. IV et in II, dist. II, q. I, art. I, eamque secutus est D. Bonaventura in II, dist. II, art. I, qu. III et probabilem reputari a Scoto, et Richardo docet Suarez in met. disp. L, sect. VI, et præcipuum fundamentum videtur esse, quia non potest a nobis intelligi, quomodo aliqua duratio creata, quæ fit a Deo in tempore, et conservatur juxta ipsius voluntatem sit omnino indivisibilis, ita quod non habeat aliquam latitudinem quantitatis, et aliquam rationem prioris, et posterioris, sine latitudine autem quantitatis non datur aliquid mensurabile, neque aliqua mensura, quia in præsentis solum agimus de mensura quantitatis, non perfectionis, quantitas autem non potest intelligi sine divisibilitate, nec divisibilitas durationis sine aliqua ratione

prioris et posterioris, seu futuri et præteriti.

III. Nihilominus dicendum est, quod ævum nihil includit formaliter de successione, licet includat quantitatem virtuales ratione permanentiæ. Ita sentit D. Thomas in II, dist. II, q. I, art. I, quodlib. x citato, et in præsentis articulo quarto. Atque ita dicendum est, quod ævum intrinsece, et formaliter nullam habet successionem prioris, et posterioris: bene tamen virtualiter, et æquivalenter, imo et extrinsece potest habere successionem secundum assistentiam ad res successivas. Pro cuius intelligentia notandum est, quod nomine ævi intelligimus in præsentis mensuram durationis rerum incorruptibilium, sicut nomine temporis intelligitur mensura motus, et rerum mutabilium, et nomine æternitatis mensura summi, et incommutabilis esse, in rebus ergo incorruptibilibus non datur quantitas durationis penes variationem partium et successionem durationis præteritæ, et futuræ, sed solum invenitur quantitas virtualis, quæ est idem, quod permanentia in esse, permanentia enim in eadem simplici, et unica duratione æquivalet multis partibus transeuntibus, quibus extenditur duratio motus, et rei mutabilis. Atque ita D. Thomas assignat pro materia mensurabili in durationibus angelicis ipsam permanentiam, ut in II sentent. citato solutione ad v et in I, dist. XIX, q. V, art. II in fine corporis. Et ratio est, quia ubi datur permanentia durationis non transit illa duratio quantumcumque unica, et simplex transeunte instanti, vel tempore, ergo durat ultra instans instanti, vel tempore, ergo habet latitudinem durandi, nec stringitur ad indivisibilitatem instantis temporis, si quidem transeunte instanti, non transit illa

duratio. Et licet hoc habeat effective a Deo conservante rem in esse, formaliter tamen id haberet ex intrinseca simplicitate, et indivisibilitate propriæ formæ, sicut etiam tempus habet continuationem, et quantitatem successivam durationis a Deo conservante effective, sed tamen formaliter ex ipsa natura motus habet successionem, et extensionem in quantum pars transiens conjungitur cum parte futura, et sic fit extensio partium succedentium, et transeuntium. Cæterum quanto duratio aliqua magis est simplex, et divisibilis, si indivisibilitas illa non sit transiens, sed permanens, tanto magis per se, et intrinsece habet latitudinem, et quantitatem propriam durationis, ut duratio est. Etenim latitudo, et extensio durationis per se primo salvatur in hoc, quod duratio non transeat, sed permaneat ultra instans momentaneum, nam hoc ipso non est indivisibiliter durans, sed ultra indivisibile, et consequenter habet latitudinem, et extensionem in non transeundo, sed continuando permanentiam. Quando autem duratio ipsa est simplex, et unica, et sic permanet sine partibus succedentibus, magis proprie, et ab intrinseco continuat permanentiam, quia magis est eadem, tempus autem potius habet deficientiam a duratione, quia non eadem duratio permanet, sed de una parte transit ad aliam pereunte una, et succedente alia. Quare minus habet extensionis quantum ad permanentiam durationis, licet plus habeat quantum ad divisibilitatem. Et ita dixit D. Thomas in II sentent. citatus: « Quod omnis divisio durationis accidit ex motu per quem fit successio prioris, et posterioris, quia mediante successione partium in tempore consurgit latitudo divisibilis durationis. »

IV. Ex his ergo manifeste dedu-

citur mensuram durationis angelicæ, quæ est ævum in se intrinsece non componi ex parte præterita, aut futura, quod est intrinsece habere successionem, bene tamen extrinsece posse futuro, et præterito coexistere. Etenim permanentia in duratione est simplex, et unica in Angelo, non autem per numerationem continuatur, quia non datur una pars transiens, et alia adveniens, si quidem est incorruptibilis, et caret partibus, nec perfectionem suam acquirit paulatim, sicut res corruptibiles, et generabiles, ergo oportet, quod permanentia ejus in esse sit indivisibilis, et simplex quantum ad identitatem rei durantis in esse. Ergo identitas durationis non componitur ex aliqua successione, et numeratione, ita, quod sit identitas per continuationem, et numerationem partium, ex quibus constat, sed per simplicitatem ejusdem durationis.

V. Quod veropossit habere extrinsecam successionem declaratur designando modos, quibus id potest intelligi. Et primo potest intelligi successio privativa in Angelo interesse, et non esse, et e contra, nam hoc ipso quod creati sunt a Deo in tempore, intelligitur præcessisse non esse illorum, et postea habuisse esse post non esse, atque adeo fuit prius, et posterius secundum esse, et non esse. Et idem est si Angelus annihilaretur, et succederet non esse post esse. Secundo, potest inveniri ordo prioris, et posterioris inter durationem unius Angeli, et alterius, sicut si Deus creasset modo unum Angelum, illi qui creati sunt ab initio priores essent in duratione, quam isti, sicut de facto contingit in animabus, quæ diversis temporibus creantur, et una præcedit alteram duratione. Sed hæc præcedentia non est respectu unius, et ejusdem durationis, sed respectu diversarum,

ideoque non est successio intrinseca in qualibet duratione, sed solum extrinseca, et respectiva. Similiter si Angelus, qui nunc est annihilaretur a Deo, et iterum reproduceretur idem numero, diceretur illa duratio interrupta, et de novo continuata per mutationem a Deo factam, non ab ipsa substantia Angeli intrinsece postulata. Tertio, datur in Angelo successio extrinseca penes assistentiam ad res successivas, et temporales; licet enim Angelus in sua entitate, et permanentia sit simplex, et indivisibilis, tamen in eo existendo rebus temporaliter transeuntibus necessario debet expectare positionem talium rerum in se, ut possit illis coexistere, in quo longe differt ab æternitate, quia æternitas, ita est simplex, et indivisibilis, quod est infinita in mensurando non per numerationem, sed simplici modo continendo omnes differentias durationum, et est causa illarum immutabili, et indivisibili modo ex parte sui, cum immediate mensuret actionem divinam immutabilem a qua omnes causantur. Ævum autem nihil horum habet respectu rerum temporalium, unde ad coexistendum illis debet expectare earum transitum, et adventum, et sic in coexistendo extrinsece illis aliquam divisibilitatem, et successionem habet, non ex parte sui, sed ex parte alterius extremi, qui coexistit, et applicationis ad illud.

VI. Unde solvitur fundamentum oppositum supra allatum. Dicimus enim, quod duratio bene potest esse simplex, et indivisibilis, et tota simul quantum ad identitatem, ita quod sit omnino eadem non per numerationem, et successionem partium, sed per omnimodam entitatem, et tamen dicitur habere quantitatem virtualiter, tum ratione permanentiæ, quia non permanet tantum per unum instans temporis, sed

permanet bene numeratione, et mutatione tantum quantum tempus permanet per numerationem, et successionem, aut etiam ultra, tum etiam, quia potest coexistere rebus divisibilibus, et in se simplex, et unica existens multis mutationibus æquivalet. Quod vero conservetur a Deo continuo, non arguit mutabilitatem secundum prius, et posterius in re conservata, sed omnimodam identitatem, sicut eadem lux potest conservari a luminoso immobiliter perseverante, Deus autem conservat Angelum immobili modo.

VII. Adhuc tamen objicies: Quia in duratione Angeli vere, et proprie potest inveniri præteritum, et præsens in ordine ad Deum creantem, et conservantem, ergo, etc. Antecedens probatur: tum quia si modo crearetur unus Angelus de novo ille minus durasset, quam Angeli, qui ab initio creati sunt, si quidem illi plus duraverunt, quia multo antequam iste crearetur de novo, erat verum dicere, quod illi Angeli habebant esse, et non iste, sed illud plus, quod illi Angeli duraverunt non est modo præsens isti Angelo, sed præteritum respectu durationis Angeli. Tum etiam, quia modo est verum dicere, quod prima creatio Angeli est præterita, et conservatio est præsens, et annihilatio, si daretur, est futura, et totum hoc verificatur respectu ejusdem durationis, ergo in duratione Angeli datur præsens præteritum, et futurum. Antecedens constat, quia modo non est creatio Angeli, si quidem nunc non transit de non esse ad esse, et tamen de fide est, quod fuit creatus ab initio. Quod etiam de præsentem conservetur manifestum est, quia nunc existit Angelus. Similiter si esset annihilandus, id esset futurum, quia modo non annihilatur, et postea annihilaretur.

VIII. Confirmatur primo, quia si

modo fieret annihilatio Angeli tota duratio ejus redderetur præterita, quia verum esset dicere nunc non est Angelus, et aliquando fuit, ergo etiam modo aliquid de duratione Angeli est præteritum, si quidem annihilatio si modo fieret, non tollet id, quod hucusque duravit Angelus, sed solum durationem præsentem, ergo tam præteritum est id, quod hucusque duravit Angelus modo dum existit, quam si annihilaretur.

IX. Confirmatur secundo, quia Angelus quando primo creatus est, non habuit tunc durationem, quam habet modo, alioquin præsens illi esset tunc omnis ejus duratio, quam semper habiturus est a Deo, et sic sicut tunc supposita ejus existentia de præsentem necesse erat existere, nec poterat simul non esse, ita non poterat non futurus esse, quia jam habebat præsentem futuritionem, ergo ex suppositione, quod est non potest non futurus esse, et sic esset inannihilabilis.

X. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem respondetur quod in illo casu Angelus modo creatus minus durasset, quam alii duratione extrinseca, et quasi negativa non formaliter, et positive, id est, quantum ad identitatem, tamen eadem, et tam recens est duratio Angeli creati ab initio, sicut Angeli modo creati, sed quantum ad coexistentiam ad alias durationes, et res non coexistit tam multis, quam Angelus antiquus, et in hoc admittitur successio, sed est extrinseca, et secundum coexistentiam. Ad secundam probationem similiter dicitur, quod creatio præterita, et conservatio præsens non ponunt aliquam intrinsecam mutationem, et variationem in ipsa duratione Angeli, sed solum aliquam extrinsecam denominationem, vel coexistentiam ad alia: eo quod licet

eadem prorsus duratio sit, quæ tunc creata est, et quæ modo conservatur, tamen tunc habuit denominationem transeundi de non esse ad esse, quam modo non habet. Et similiter annihilatio dicitur futura, non quia expectetur aliqua duratio, vel pars durationis quæ annihilanda sit, sed quia ista, quæ modo est potest a Deo tolli quando voluerit, et per coexistentiam ad tempus, in quo tolletur, dicitur futura secundum extrinsecam coexistentiam.

XI. Ad primam confirmationem respondetur, quod facta annihilatione duratio Angeli dicitur præterita præteritione negativa, quia tollit esse, quod erat præsens, non autem quia duratio ipsa varietur per successionem de una parte in aliam. Et ipsa annihilatio tollendo durationem præsentem, tollit eandemmet durationem, quæ modo erat, et quæ eadem erat ab initio suæ creationis, unde illa prima duratio Angeli de se sufficiens erat existere etiam nunc secundum eandem identitatem intrinsecam, sed quia hoc habet dependenter a Deo, ideo ex suspensione concursus divini potest illa duratio, quasi ab extrinseco tolli, et consequenter ejus coexistentia ad alias durationes, quæ remanerent ipso annihilato.

XII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod duratio Angeli eo ipso, quod creatus est habet totam durationem præsentis, et futuri quantum ad identitatem intrinsecam ex parte sui, sed quia hoc habet dependenter a Deo, ideo potest annihilari quodcumque Deus voluerit, et licet ex suppositione, quod datur concursus divinus non possit annihilari, seu non esse, tamen ista suppositio potest tolli per suspensionem divini concursus, ideo non sequitur, quod non sit annihilabilis ex eo quod duratio ejus sit indivisibilis, et simplex quantum

ad identitatem intrinsecam respectu præsentis, et futuri, et cujuscumque alterius durationis, cui possit coexistere. Unde ex suppositione hujus identitatis, et simplicitatis intrinsecæ non sequitur, quod habeat a principio omnem coexistentiam ad futuram durationem, sed quod habeat eandem simplicem durationem, quæ de se omnibus durationibus coexistere potest in eadem identitate manendo. Sed quod de facto, et applicate jam habeat ipsam coexistentiam ad omnia futura, non sequitur, quia hoc non solum dependet ab identitate, et simplicitate durationis, sed a concursu divino extrinseco, et a positione alterius extremi cui debet coexistere. Quæ suppositiones cum sint extrinsecæ ipsi durationi Angeli possunt illi abesse, et respectu eorum amittere, aut acquirere coexistentiam illam pro re futura, et annihilari quodcumque Deus voluerit, et sic illa duratio præsens Angeli ab extrinseco potest transire, et non stare, quod non habet æternitas, quæ neque ab extrinseco, neque ab intrinseco transire potest.

ÆVUM EST MENSURA.

XIII. Negant hoc p. Vazquez hic disp. xxxiv et xxxv, et p. Suarez in met. disp. L, sect. VI, n. IV et sequentibus licet ex diversis fundamentis, Vazquez enim consequenter ad ea, quæ docuit de æternitate Dei, et de visione beatifica duo asserit. Primum, durationem Angeli non esse mensuram, neque respectu Angeli, in quo est, neque respectu alterius. Secundum, tempus nostrum esse mensuram durationis Angeli per se, et congeneram ipsi, et non solum alterius rationis, ut dixit Durandus, neque solum ex imperfectione nostra intellectus, ut dicit Div.

Thomas quodlib. x, art. iv ad secundum. Licet non possit esse mensura Angeli quantum ad omnia, quia licet a parte ante possimus mensurare per tempus quantum duravit Angelus, quia incepit in tempore, non tamen a parte post, quia ævum durabit sine fine, tempus vero habebit finem. At vero p. Suarez existimat ævum consistere solum in ratione durationis permanentis, et quantum ad substantiam immutabilis; carere vero mensura, quia caret quantitate, quæ solum est mensurabilis, et quia ratio mensuræ consistit in relatione, duratio autem relatio non est.

XIV. Fundamentum p. Vazquez sumitur ex eo, quia duplex est mensura, altera perfectionis, altera quantitatis. Prima consistit in eo quod aliquid sit perfectissimum in suo genere, et de hoc modo mensuræ non loquimur in præsentem, mensura vero quantitatis juxta philosophum x met. consistit in eo quod aliquid sit notius mensurato, ad hoc enim omnes mensuræ ordinantur, ut per eas notificetur nobis quantitas mensurati. Et sic de ratione mensuræ quantitativæ non est, quod sit nobilior rebus mensuratis, sed notior, et manifestativa quantitatis confusæ. Ex hoc autem formatur argumentum, quia ævum non est manifestativum quantitatis durationis Angeli, neque respectu intellectus divini, neque angelici, neque humani, ergo respectu nullius. Antecedens probatur. Non respectu divini, quia Deus non indiget aliquo extrinseco sibi notificante mensurabilitatem alterius. Non respectu angelici, quia respectu suæ durationis melius cognoscit illam per se ipsam, quia sibi magis intima est quam per applicationem durationis alterius. Ad cognoscendum vero aliorum durationes non utitur sua, vel alterius duratione, tamquam no-

tiori, si quidem omnes Angeli simul sunt creati, et sic tantum duravit unus quantum alter, animæ vero diversis temporibus creantur, et ita non potest manifestari per ævum quantum quælibet anima duret. Non respectu intellectus nostri, quia nobis nota non est duratio Angeli in se ipsa, sed solum cognoscitur ad modum temporis per conceptus nostros imperfectos, ergo potius ipsum tempus est notificativum respectu nostri ipsius durationis Angeli, quantum scilicet duraverit.

XV. Fundamentum vero p. Suarez ex eo sumitur, quia ævum est duratio indivisibilis, et ex eo quod est duratio debet consistere in aliquo absoluto, et intrinseco ipsi duranti, nihil enim durat, vel existit per ordinem ad alterum, sed per ordinem ad se, mensura autem non est aliquid absolutum, sed relativum, ergo duratio non est mensura. Ex eo vero quod est indivisibilis duratio, daret quantitate, ergo et mensura quantitativa, solum enim quantum, ut quantum mensurabile est a mensura de qua loquimur in præsentem, et de qua loquitur philosophus, x metaph. Confirmatur, quia inter duas durationes indivisibiles non potest cognosci quantitas unius per alterum per modum mensuræ, sed ad summum per modum coexistentiæ. Nam si utraque duratio æqualiter duraverit, quia simul est producta, non cognoscetur quantum una duraverit per hoc, quod alia sit altior et simplicior, sed per hoc quod utraque simul sit producta. Si autem una prius fuerit producta quam alia, non constabit quantum prius extiterit quam alia per ipsam indivisibilem durationem, quia indivisibilis est, sed per hoc quod aliquid temporis misceatur, quo illa quantitas, et intervallum notificatur.

XVI. Nihilominus opposita sen-

tentia, scilicet quod ævum sit mensura durationis incorruptibilis in substantia, licet variabilis in operatione, et sic est mensura durationis angelicæ, est expressa D. Thomæ in II, dist. II, q. I, art. I et II, et in opusc. XXXVI, c. IV, ubi inquit: « Quod prius invenitur ratio mensuræ in ævo quam in tempore. » Et infra includit: « Quod tempus nostrum commiscetur ipsi intelligere Angeli, non tamquam propria mensura ejus, sed tamquam quid eam concomitans, et adhuc remotius quam ævum. » Contraponitur ergo sententia D. Thomæ sententiæ Vazquez, tum in eo quod affirmat ævum esse mensuram, tum in eo quod negat mensurari duratione Angeli tempore. D. Thomas sequuntur ejus discipuli Nazarius hic art. V, contr. II; Navarrete, contr. III, qui citant Capreolum, Cajetanum Ferrariensem et alios. Et sumitur fundamentum ex duobus oppositis principiis ad fundamenta p. Suarez et Vazquez. Nam ut diximus præcedenti disputatione aliud est ratio mensuræ, aliud relatio. Ratio mensuræ non est aliquid relativum, sed absolutum, in quo relatio illa fundatur, nam secundum philosophum, v. met. unum genus relationum est quod fundatur in mensura, supponitur ergo pro fundamento ratio mensuræ, seu mensura fundamentaliter, et super illam relatio consurgit. Unde id quod ad mensurandum adhibemus non est relatio, sed aliquod pondus, vel quantitas, vel motus, v. g. ulna, vel libra vel tempus, quæ habendo majorem uniformitatem notificant nobis confusionem quantitatis, quæ est in mensurato. Hoc supponimus contra Suarez. Contra Vazquez autem jam supra advertimus, quod mensura quantitativa debet notificare quantitatem mensurati, non tamen necesse est quod notificet nobis via im-

perfectionis, et generationis, et procedendo de imperfecto ad perfectum juxta nostrum modum, sed via perfectionis, et procedendo ab eo, quod simplicius, et perfectius est ad id quod minus. De ratione enim mensuræ per comparisonem ad mensuratum est quod sit uniformior, et perfectior illo, ita quod confusionem aut inæqualitatem mensurati possit tollere per suam uniformitatem, et æqualitatem majorem. Quod vero mensura se accommodet nostro modo intelligendi ad notificandum mensuratum, non est de ratione mensuræ, sed sufficit quod ex natura sua, et ex modo majoris uniformitatis suæ sit notificativum, seu explicativum confusionis inventæ in quantitate rei mensuratæ. Nam cum mensura in eo quod mensura perfectior sit mensurato, non potest ex vi mensuræ fundare cognitionem mensurati modo imperfecto, et via remotionis procedendo, sicut cum a creaturis procedimus ad Deum, a corporalibus ad spiritualia, hæc enim non sunt mensura illorum. Requiritur ergo per se in mensura notificatio mensurati per modum majoris uniformitatis, et simplicitatis. Quod si id quod in se uniformius est, etiam sit totius quoad nos, utrumque quidem concurrat in re illa, quæ est mensura, sed formaliter non constituitur in ratione mensuræ, nisi per primum, scilicet per majorem uniformitatem. Itaque aliud est considerare mensuram, et mensuratum ex parte rei cognitæ, aliud ex modo, et ex parte cognoscentis. Ex parte quidem rei cognitæ semper mensura est perfectior mensurato, et notificativa illius, atque explicativa confusionis ejus via perfectionis, et simplicitatis. At vero ex modo cognoscentis non semper mensura nostra propter suam imperfectionem attingit simplicitatem, et uniformitatem rei

mensurantis supra mensuratum, hoc tamen non tollit rationem mensuræ ex parte ipsius rei cognitæ, licet per accidens ob defectum cognoscentis non possit uti illa mensura ad cognoscendum per illam, tamquam per medium rem mensuratam. Quæ doctrina elicitur ex D. Thoma, opusculo XXXVI citato, c. III et IV, et quodlib. X, a. IV ad II.

XVII. Ex quo desumitur fundamentum nostræ sententiæ. Primo, quidem contra Suarez quia ævum non est duratio quomodocumque sumpta, sed prout habet majorem uniformitatem, et simplicitatem, sicut tempus non est sola duratio motus quomodocumque sumpti, sed duratio motus uniformioris, et simplicioris inter alios. Dari autem inter Angelos unam durationem simpliciore, et uniformiorem, quam aliam, ex eo constat, quia ut dicit D. Thomas, in II sent. citato a. II in fine, unus Angelus est simplicior alio in essendo, ergo etiam in durando, nam duratio est continuatio existentie, simplicium autem substantie convenit simplicior, et perfectior existentia, ergo et uniformior, seu simplicior duratio, et consequenter immutabilior, et magis unite permanens, unde potest mensurare durationes alias minus simpliciores, licet tantum duret una, quam alia, sicut possumus per motum primi mobilis, quia uniformior est in sua permanentia mensurare motus aliorum orbium, qui minus uniformes sunt, licet omnes inceperint in eodem puncto temporis, et tantum duret unus, quantum alter, sic similiter licet omnes Angeli eodem instanti creati sint, et tantum duraverit unus quantum alter, et omnes sint incorruptibiles, tamen quia permanentia unius in substantia sua est simplicior, quam alterius, potest esse mensura respectu alterius in permanendo, quatenus illa

substantia fundat perfectiores mutationes respectu suarum operationum, et sic dicitur habere simplicior permanentiam, quia ad substantiam non solum pertinet existentia absoluta in ordine ad se, sed etiam in ratione principii operativi, quia totum hoc est munus substantie et ideo illa duratio est uniformior, et simplicior, quæ uniformiori modo mensurat substantiam non solum, ut est in se, et ad se, sed ut est radix operandi.

XVIII. Contra Vazquez autem sumitur fundamentum, quia de ratione mensuræ est, quod sit notificativa quantitatis mensuratæ ratione majoris uniformitatis suæ, quia scilicet quantitas mensurati confusior, vel inæqualior est, et reducta, seu comparata ad uniformiorem, et simpliciore quantitatem notificatur et explicatur ejus confusio. Hoc autem modo non possumus per tempus nostrum mensurare, et cognoscere, quomodo duratio unius Angeli, sit magis, vel minus uniformis, quam alia, cum tempus nostrum sit mensura diversi generis illisque inferior, licet possimus uti nostro tempore tamquam duratione coexistente durationi Angeli et cognoscere, quod toti illi tempori coextiterit, sed quanta uniformitate, vel difformitate durationis angelicæ id factum sit, tempus notificare non potest. Similiter licet quilibet Angelus sui durationem entitative, et absolute melius intelligat per se ipsam, tamen comparative secundum uniformitatem, vel difformitatem suam melius intelligit per applicationem uniformioris durationis cui comparata sua duratio apparet quantum ab illa deficiat, vel illi conformetur in quantum est radix operationum minus uniformium. Et similiter Deus licet ex parte cognoscentis non utatur duratione unius Angeli, tamquam medio ad cognoscendum aliam, tamen